17597/P

55151

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEURITIDE VERA INFLAMMATORIA,

Quod in Auguſtimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi offerebat,

AUCTOR,

Alexander-Augustus Chevallier, Andegavus, Liberalium Artium Magiſter, nec-non Medicinæ Alumnus, pro Trimeſtri menſis Julii, anno 1790.

Pro Baccalaureatûs Gradu couſequendo.

Salus populi ſuprema lex eſto.
(Helvetius de homine.)

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel,
Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XC.

[illegible]

AVUNCULO SUO CARISSIMO

NEC-NON

COLENDISSIMO

L. J. CHEVALLIER,

HAS ſtudii Medici primitias in publicum & æternum amoris ac reverentiæ monumentum.

DICAT, VOVET, CONSECRAT,

Addictiſſimus reverendiſſimuſque
Nepos, A. A. CHEVALLIER.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30352460

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEURITIDE VERA INFLAMMATORIA.

LASSITUDINES ſpontaneæ, horror, aut frigus quàm maximum, rigor, calor poſtèa intenſiſſimus, totum occupans corpus, ſitis, inquietudo, dolor lateris, ingruentem denotant morbum quem pleuritidis nomine donamus. Revera adeſſe pleuritidem confirmant lateris dolor vehemens & puncto-

rius, ſpirandi difficultas, acuta & continua febris, pulſus arteriarum durus, ſæpiſſimè tuſſis crebra; præſertim ſi hæc omnia & inflammatio quæ ſuſpicatur, per cauſam internam excitata fuerint.

Quænam autem pleuritidis ſedes? Hæc ſumma res eſt. Plures Medici illuſtres pleuram tantummodò, illæſis pulmonibus inflammationem pati cenſent, obſervationibus innixi, ut aſſerunt. Cæteri haud obſcurioris nominis poſt innumeras cadaverum ſectiones, pleuritide defunctorum, in quibus nunquam inflammatione laborantem pleuram deprehenderunt, aut non-niſi leviter admodum vitiatam, ſed ſemper pulmones correptos, unde reſidere morbum in pulmonibus clamant. Quidam inter utramque partem gradientes, pulmonum ſuperficiem tantùm ſimul cum pleurâ affici opinantur. Si in ſolis pulmonibus, in ſanitate ſenſu penè deſtitutis, reponatur pleuritis, undè proveniat pungens dolor & vehemens & acutus, pulſuumque durities explicatu difficile remanet: etiam cadavera aperta obtulerunt pulmonem & pleuram inflammatos, licet ægri de nullo acuto dolore conqueſti fuerint: ſi magis arrideat ſolam in hoc morbo inflammari pleuram, undè iterum ut obſervavit

ſummus *Morgagni*, ægri punctorio dolore immunes evaſerunt, quorum in pleurâ inflammationem eſſe detexit ſectio? Dicendum igitur partes anteà ſenſu fermè orbatas, exquiſitiſſimo tentari in ſtatu pathologico; aut aliundè inflammationem in ſpatiis intercoſtalibus natam omninò parem eſſe excitando punctorio lateris dolore quandò adeſt. Miſſis omnibus auctorum controverſiis, concludere pronum nobis erit, pleuritidem juxtà mentem noſtram in ſolâ pleuræ inflammatione conſiſtere, quæ verò ſæpè ſæpiùs in peripneumoniam abit, aut ſaltem in pleuro-peripneumoniam tranſit quia impoſſibile fermè evadit, quin, affectâ pleurâ, non iuquinentur etiam pulmones contigui: quod quodammodò arguunt ſputa in declinatione morbi apparentia & materia pulmones ſæpè obſidens, vel tunc metaſtaſis materiæ phlogiſticæ in pulmones determinatur. Major pleuritidis propenſio in corripiendis temperamento ſanguineo præditis, robuſtis, & exercitatis, venatoribus, operariis, bajulis, viris præ fæminis, juvenibus præ ſenibus ſe plethoram ſæpè pro causâ agnoſcere evincit. Pueros ferè nunquam adorirur. Pravæ aut vitiatæ aëris qualitates, ſudores derepentè ſuppreſſæ poſt duros labores, è loco calido in frigidum tranſitus, aëri

libero per noctes decubatio, incommoda cæli inconſtantia, balnea frigida, potus gelidus æſtuante corpore, aut ſpirituoſus, tandem vigens epidemica conſtitutio, aut ſupreſſio evacuationum, huncce generant morbum. Pleuritidi adhuc favet naturalis pulmonum debilitas, aut ſi jam pleuritide laboraverit ægrotus, & ſæpè lethalis recidiva. Frequentiùs vernali & autumnali graſſatur tempore. A verâ ut ſecernamus, notham ſalutamus pleuritidem ubi omnia non adſunt quæ veram conſtituere deſcripſimus. Notha ſæpè etiam conſiſtit quoad cauſam materialem in congeſtione humoris tranſpirationis, & quoad ſedem in affectione inflammatoriâ muſculorum intercoſtalium. In verâ inflammatoriâ aucto dolore augetur febris. Facilior eſt ſupra latus affectum decubitus. Melius eſt ſi latus dextrum tentetur.

Vigente morbo ingraveſcunt ſymptomata, dolor quàm maximè pungens, difficillima reſpiratio, urinæ paucæ, flammeæ, ſanguis extractus cruſtâ phlogiſticâ obtegitur, tuſſis crebra, moleſtiſſima, ſputa ſangnine mixta. Periculum eſt, ſi non niſi rectus ſtare valeat ægrotus cum difficili reſpiratione; ſi fugax lateris dolor, aut ſubitò evaneſcat; ſi diarrhæa ſuperveniat initio morbi; ſi ſubitò im-

pediantur expectorationes, niſi abundanter mingant urinæ. Proximum prænuntiant fatum pulſus mollis, parvus, ſtrepitus ſputi multi in pectore, facies triſtis, oculi auriginis colore tincti; ſi dolor versùs inferiorem abdominis partem propagetur. Materies morbifica ad encephalon tranſlata, delirium, phrenitidem, aut ſyncopem parit: eadem efficit irritatio. Lætam è contra prognoſim habemus, ſi latus dextrum obſideat morbus; ſi non niſi poſt mitigata ſymptomata & in progreſſu morbi diarrhæâ tentetur æger; ſi ſectâ venâ dolor laterum humerum, ſcapulas, dorſum occupet cum levamine; ſi ſanguis floridus purpureuſque fluat; ſi hæmmorragia narium intrà primum & quintum diem locum habeat, hæmorroïdes-ve ritè manantes, facilior reſpiratio. Probi ſunt ſudores per univerſum corpus æqualiter diffuſi, levantes. Quinto die judicari poteſt morbus, ſed ad vigeſimum uſque etiam protenditur criſis. Pleuriticos, quibùs in interiora auris dolor & exinde abſceſſus & pus ſuperveniebant, omnes ſanabat *Baglivius*.

Ubi primùm adeſſe pleuritidem verè inflammatoriam oſtenderunt jam jam enunciata, ad phlebotomiam tanquam ad ſacram tutiſſimamque anchoram confugiat accerſitus medicus. A venæ-ſec-

tione, inquit *Trillerus*, tota pendet pleuriticorum ſalus. Donec amplius tenax non ſit, aut evanuerit cruſta illa alba & ſebacea, ſanguis ejiciendus; nec credendum, ſuadente *Baglivio*, peſſimi ominis eſſe, ſi ſanguis ſit ſano ſimilis, boni vero, ſi plurimum tenax & cruſtâ phlogiſticâ coopertus. A primo decubitûs die ad quartum uſque haud excluſum pleuriticorum ſanguis citò, crebrò & copiosè mitti debet, ſi autem ſæva vis mali urgeat, ſi permiſerint patientis vires ad ſeptimum & octavum uſque inſtitui poteſt & quidem felici cum eventu, venæ-ſectio. Quod expertus eſt *Hippocrates* qui octavâ die aperire juſſit *Anaxionis*, venam pleuritide inflammatoria laborantis.

Certò certiùs celebranda ſanguinis evacuatio; ſi dolor claviculam attingat, cum gravitate brachii aut mammæ, nec fotu minuit, manetque ſicca pleuritis ſputis expers, ut docuit *Duretus*; ſi in ſummo gradu provecta reperiantur cætera ſymptomata. Cum *Trillero* & cæteris arbitramur, venam eſſe tundendam in brachio lateris affecti. Si versùs veſperas recrudeſcant febris, dolores & anxietates, iterùm vel in eodem brachio vel in pede ſed ejuſdem lateris, undè ſalutaris revulſio, extrahatur ſanguis. Sanguinis quan-

titatem detrahendi menſurant ætas, vires, conſtitutio ægroti & cæteræ circumſtantiæ. Unicâ vice pluſquam quatuor libras extraxit *J. Heurnius*, ægro atroci pleuritide ex utroque latere laboranti & quidem cum ejuſdem beneficio. In genere, cæteris paribus, ſemper minùs noſciva larga quàm parcior laticis vitalis effuſio. Sat effluxit ſanguis ſi placidè, conſtanti tenore & æqualiter feriat pulſus, dolores miteſcant, liberior reſpiratio, ſputa cocta cum levamine incipiant.

Purgantia etiam mitiſſimæ indolis eliminanda, & non niſi poſt declinationem morbi propinanda. Arceantur opiata & narcotica, ne tranquillè ſuffocetur æger. Bechica non ante quartum diem præſcribantur. Peſſima hinc methodus quæ expectorationem crudâ adhuc materiâ, aut ſudores nimis citò promovens ſanationem adducere ſeſe ingerit, mox è contrà ægrotantem intra patentiſſimas orci januas committit. Cane igitur & angue pejus vitanda, ut dixit *Trillerus*, potentiora diaphoretica, alexipharmaca & ſales volatiles, adaugent & ingraveſcunt diatheſim phlogiſticam.

Sanguine ejecto, ſumatur infuſum theiforme ex veronicâ, tuſſilagine, cum ſyrupo altheâ, violarum de eryſimo & ſimilibus, quæ plurimùm inſerviunt

in juvandâ ſputorum coctorum expuitione. Ad expectorationem propinabat *Pringle* infuſionem pectoralem adjuncto oximelite ſimplici, aut qualibet ſex hora quatuor cochlearia mixturæ ex melle, gummi arabico, aquâ roſarum, oleo amigdalarum dulcium & aquâ conflatæ. Ut ſedatur ſitis urens crebrò hauriendum dabat *Trillerus* tenuem & calidam ptiſanam cum melle & tantillo nitri paratam. Naribus aquæ tepidæ aceto ſuffuſæ admovendæ ſunt vapores ut inſpirentur. Ubi tuſſes invaſerint ampliùs bibendum & potu humectandum. Debita laxitas parti affectæ procuranda ope linimentorum quæ accipiunt oleum recens ſeminis lini cum ſpermate ceti, aut pulvere dentium apri & ſaccharo. Optimè præſtitit *Trillero* linimentum ex ſemi-unciâ ſacchari ſaturni, unciâ unâ aceti rutacei, vel ſimplicis & binis unciis olei infuſi roſarum, quàm calidiſſimè lateri dolenti ponatur. Topicis calefactis perpetim inungenda, fovenda lateris affecti regio, ut ſunt oleum ſeminis lini, amygdalarum dulcium. Cineres vino reperſi, aut veſicæ lacte plenæ calidè ſuper imponendæ. Singulis aut alternis diebus clyſma tepidum ex aquâ hordei & melle puro cum unâ duabus-ve drachmis nitri paratum, aut more *Sydenhami* ſolo lacte cum ſac-

charo, blandum procreat ſomnum, abſtergit, temperat. Jam penitùs præterito irritationis ſtadio, ſuccedit evacuatio critica, ut plurimùm via expectorationis, ut jam dixi, tum temporis adhibenda ſunt remedia inciſiva dicta, præſertim autem kermes minerale, oxymel ſcilliticum, &c. Hîc valent etiam rubefacientia ſupra pectus admota, quoties à debilitate impeditur expectoratio, ut probavit *Stoll*, & nos docuit ill. prof. *Vigarous*. Si pulſus mollities, & cutis mador criſim per ſudores prænuntiant, ad diaphoretica confugiendum ſed lenia; ſi per urinas, diuretica adhibenda ſunt. Ex conſilio *Baglivi* ſi poſt repetitas venæ-ſectiones reſtet adhuc ſpirandi difficultas inſignis, aut augeatur, duo veſicatoria femoribus, tibiis-ve applicentur derivationis causâ: eumdem ſcopum attingunt ſcarificationes aut cucurbitulæ ſiccæ.

Carnibus omninò abſtineat æger, ſed tenuibus cremoribus vel ptiſanis ex orizâ, hordeo, avenâ veſcatur; juſculis vitulini aut gallinæ, prunâ ſylveſtri, cerasâ & ſimilibus ſub-acidis utatur. Optimè conducunt herbæ ſaponaceæ, diluentes, ut lactucæ, acetoſa, indiviæ, radices ſcorſoneræ, taraxaci, &c. Stragulis nec cultricis obruendi ſunt ægri; aër ſæpè per diem renovetur, cavendo

ne frigidior immediatè ægrum tangat. Poſt decimum-quintum aut vigeſimum diem levi cathartico, ex caſſiâ, mannâ, rheo, cum cremore tartari & ſimilibus alvus ducenda.

Hæc ſunt, PATRES ORNATISSIMI, quæ pro ingenii debilitate vobis offerre poſſum; humaniter indulgeatis.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius & Judex.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.